SENTENTIÆ SELECTÆ
ET
Excerpta ex Epiſtolis C. Plinii Secundi.


IN USUM
SCHOLÆ WINCHCOMB.

Moribus & Doctrina.



LONDINI,
Typis *A. W. Anno. Domini* 1660.





SENTENTIÆ SELECTÆ IN USUM SCHOLÆ WINCHCOMB.

I.

1. *Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.*
2. *Bono probari malo, quam multis malis.*
3. *Pareto legi, quisquis legem sanxeris.*
4. *Fœlix e criminibus nullus erit diu.*
5. *Ignosces aliis multa, nihil tibi.*
6. *Turpe quid ausurus, te sine teste time.*
7. *Vita perit, mortis gloria non moritur.*
8. *Ab alio exspectes, alteri quod feceris.*
9. *Ama parentem, si æquus est: si aliter, feras.*
10. *Amici vitia si feras, facis tua.*

II.

1. *Absentem lædit, cum ebrio qui litigat.*
2. *Animus iratus multa mentitur sibi.*
3. *Avarus ipse miseriæ causa est suæ.*
4. *Amare & sapere vix Deo conceditur.*

5. Avarus nisi cum moritur nil recte facit.
6. Animo dolenti nihil oportet credere.
7. Alienum nobis, aliis nostrum placet.
8. Amicos res opimæ parant, adversæ probant.
9. Beneficium dare qui nescit, injuste petit.
10. Beneficia plura recipit qui scit reddere.

III.

1. Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
2. Conjunctio animi maxima est cognatio.
3. Beneficium sæpe dare, docere est reddere.
4. Bis vincit, qui se vincit in victoria.
5. Bis interimitur, qui suis armis perit.
6. Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.
7. Bonum apud virum cito moritur iracundia.
8. Bonus comparat præsidia misericordia.
9. Crudelem medicum intemperans æger facit.
10. Citius venit periculum quod contemnitur.

IV.

1. Casta viro matrona parendo imperat.
2. Cito ignominia fit superbi gloria.
3. Consilio melius vincas, quam iracundia.
4. Cuivis dolori remedium est patientia.
5. Comes facundus in via pro vehiculo est.
6. Discipulus est prioris posterior dies.
7. Discordia fit charior concordia.
8. Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.
9. Difficilem oportet aurem habere ad crimina.
10. Etiam innocentes cogit mentiri dolor.

V.

1. *Ex vitio alterius sapiens emendat suum.*
2. *Eripere telum, non dare irato decet.*
3. *Etiam capillus unus habet umbram suam.*
4. *Fortuna cùm blanditur, captatum venit.*
5. *Formosa facies muta commendatio est.*
6. *Fatetur facinus, qui judicium fugit.*
7. *Feras, non culpes, quod vitari non potest.*
8. *Furor fit læsa sæpius patientia.*
9. *Cito ad naturam ficta redierint suam.*
10. *Fidem qui perdit, nil potest ultra perdere.*

VI:

1. *Fortuna vitrea est, quæ cum splendet frangitur.*
2. *Gravior inimicus qui latet sub pectore.*
3. *Gravissimum est imperium consuetudinis.*
4. *Habet in adversis auxilia, qui in secundis commodat.*
5. *Hominem experiri multa paupertas jubet.*
6. *Habet suum venenum blanda oratio.*
7. *Honestus rumor, alterum est patrimonium.*
8. *Honeste servit, qui succumbit tempori.*
9. *Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.*
10. *Id agas, ne quis tuo te merito oderit.*

VII.

1. *In nullum Avarus bonus est, in se pessimus.*
2. *Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.*
3. *Invitat culpam, qui peccatum præterit.*

4. *Ingratus unus miseris omnibus nocet.*
5. *Injuriarum remedium est oblivio.*
6. *In calamitosos risus etiam injuria est.*
7. *Judex damnatur, cum nocens absolvitur.*
8. *In rebus dubiis plurimi est audacia.*
9. *Læso doloris remedium inimici dolor.*
10. *Levis est Fortuna, cito poscit, quæ dedit.*

VIII.

1. *Lex universa est, quæ jubet nasci & mori.*
2. *Multis minatur, qui uni facit injuriam.*
3. *Miserrima est fortuna, quæ inimico caret.*
4. *Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus.*
5. *Mori necesse est; sed non quoties volueris.*
6. *Multos timere debet, quem multi timent.*
8. *Nunquam periculum sine periculo vincitur.*
9. *Nimium altercando veritas amittitur.*
10. *Stultum est timere, quod vitari non potest.*

IX.

1. *Veterem ferendo injuriam, invitas novam.*
2. *O vita misero longa, felici brevis!*
3. *Vicisse voluptatem voluptas maxima.*
4. *Ne cude in alios, ipse quod nolis pati.*
5. *Homo ipse summus semper est hostis sibi.*
6. *Si vis tibi cavere, te primum cave.*
7. *Calcamus alios, invicemq; calcamur.*
8. *Amica sanctæ sancta veritas pacis.*
9. *Nec vana captes lucra, nec leves plausus.*
10. *Vitam terris approbes, fidem cœlo.*

X.

1. *Peccet necesse est sæpe, qui nunquam negat.*
2. *Res nulla pia rarior eruditione est.*
3. *Nos scire pauca, multa mirari decet.*
4. *Nescire quædam magna pars sapientiæ est.*
5. *Ambire semper stulta confidentia est.*
6. *Ambire nunquam deses arroganria est.*
7. *Nec expavere tuta prudentem decet.*
8. *Nec provocare fata fortis est viri.*
9. *Fortuna cæca quos fovet cæcos facit.*
10. *Vitæ corona perseveranti datur.*



Excerpta ex Epistolis C. Plinii Secundi, in usum Scholæ WINCHCOMB.

I.

I. 3. ARriano suo. —— Est enim plane aliquid edendum, atq; utinam hoc potissimum (audis desidiæ votum!) edendum autem ex pluribus causis: maxime quod libelli, quos emisimus, dicuntur in manibus esse, quamvis jam gratiam novitatis exuerint; nisi tamen auribus nostris bibliopolæ blandiantur. Sed sane blandiuntur, dum per hoc mendacium nobis studia nostra commendent. *Vale.*

II.

I. 3. *Rufo.* —— Quin tu (tempus est enim) humiles & sordidas curas aliis mandas; & ipse te in alto isto pinguiq; secessu studiis adseris. Hoc sit negotium tuum, hoc otium: hic labor, hæc quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponatur. Effinge aliquid & excude, quod

quod sit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum post te alium atq; alium dominum sortientur: hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cæperit. Scio quem animum, quod horter ingenium: tu modo enitere, ut tibi ipsi sis tanti, quanti videberis aliis, si tibi fueris. *Vale.*

III.

I. 6. *Cornelio Tacito* —— Non est quod contemnas hoc studendi genus. Mirum est, ut animus agitatione motuq; corporis excitetur. Jam undiq; sylvæ & solitudo, ipsumq; illud silentium quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde quum venabere, licebit autore me, ut panarium & lagunculam, sic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare. *Vale.*

IV.

I. 8. *Pompeio Saturnino.* Peropportune mihi redditæ sunt literæ tuæ, quibus flagitabas ut tibi aliquid ex scriptis meis mitterem, quum ego id ipsum destinassem. Addidisti ergo calcaria sponte currenti, pariterq; & tibi veniam recusandi laboris, & mihi exigendi verecundiam sustulisti. Nam nec me timidè uti decet eo quod oblatum est; nec te gravari quod depoposcisti. Nec est tamen quod ab homine desidioso aliquid novi operis exspectes, *&c.*

V.

V.

Ib.---Onerabit hoc modeſtiam noſtram, etiam ſi ſtylus ipſe fuerat preſſus demiſſuſq;, propterea quod cogimur, cum de munificentia parentum noſtrorum, tum de noſtra diſputare. Anceps hic & lubricus locus eſt, etiam quum illi neceſſitas lenocinetur. Etenim ſi alienæ quoq; laudes parum æquis auribus accipi ſolent, quam difficile eſt obtinere ne molesta videatur oratio de ſe aut de ſuis diſſerentis? Nam cum ipſi honeſtati, tum aliquanto magis gloriæ ejus prædicationiq; invidemus: atq; ea domum recte facta minus detorquemus & carpimus, quæ in obſcuritate & ſilentio reponuntur.

VI.

Ib.---ut vero aliquis libenter educationis tædium laboremq; ſuſcipiat, non præmiis modo, verum etiam exquiſitis adhortationibus impetrandum eſt. Nam ſi medici ſalubres, ſed voluptate carentes cibos, blandioribus alloquiis proſequuntur, quanto magis decuit publice conſulentem, utiliſſimum munus, ſed non perinde populare comitate orationis inducere?

VII.

Ib.---Præterea meminimus, quanto majore animo honeſtatis fructus in conſcientia quam in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti, debet, nec, ſi caſu aliquo non ſequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum eſt. Ji vero qui benefacta ſua verbi adornant

s

adornant, non ideo prædicare quia fecerint, sed ut prædicarent, fecisse creduntur. Sic, quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente, vanescit. Homines enim quum rem destruere non possunt, jactationem ejus incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum: si laudanda, quod non sileas, ipse culparis.

VIII.

I. 9. *Minutio Fundano.*--In Laurentino meo, aut lego aliquid, aut scribo, aut etiam corpori vaco, cujus fulturis animus sustinetur. Nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse pœniteat. Nemo me apud quenquam sinistris sermonibus carpit; neminem ipse reprehendo, nisi unum me, quum parum commode scribo; Nulla spe, nullo timore solicitor, nullis rumoribus inquietor. Mecum tantum & cum libellis loquor. O rectam synceramq;, vitam! O dulce otium, honestumq;, ac pene omni negotio pulchrius! O mare, O littus verum se cretumq; μουσεῖον! quam multa invenitis, quam multa dictatis?

IX.

I. 10. *Atrio Clementi.* Euphratem philosophum ego in Syria, quum adolescentulus militarem, penitus & domi inspexi, amariq; ab eo laboravi; & si non erat laborandum. Est enim obvius & expositus, plenusq; humanitate quam præcipit. Atq; utinam, sic ipse quam spem tunc ille de me concepit, impleverim, ut ille multum virtutibus suis addidit! Aut ego nunc illas miror, quia magis intelligio: quanquam ne nunc quidem satis intelligo. ut enim de pictore, sculptore, fictore, nisi

artifex

artifex judicare; ita nisi ſapiens non poteſt perſpicere ſapientem.

X.

Ib. Diſputat ſubtiliter, graviter, ornate: frequenter etiam Platonicam illam ſublimitatem & latitudinem effingit. Sermo eſt copioſus & varius: dulcis in primis & qui repugnantes quoq; ducat & impellat. Ad hoc, proceritas corporis, decora facies, demiſſus capillus, ingens & cana barba. Quæ licet fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt. Nullus horror in cultu, nulla triſtitia, multum ſeveritatis: reverearis occurſum, non reformides. Vitæ ſanctitas ſumma, comitas par. Inſectatur vitia, non homines: nec caſtigat errantes, ſed emendat. Sequaris monentem attentus & pendens: & perſuadere tibi, etiam cum perſuaſerit, cupias.

XI.

I. 11. *Fabio Juſto.* Olim nullas mihi epiſtolas mittis Nihil eſt (inquis) quod ſcribam. At hoc ipſum ſcribe, nihil eſſe quod ſcribas: vel ſolum illud, unde incipere priores ſolebant, *Si vales, bene eſt: ego valeo.* Hoc mihi ſufficit; eſt enim maximum. Ludere me putas: ſerio peto. Fac ſciam quid agas: quod ſine ſolicitudine ſumma neſcire non poſſum. *Vale.*

XII.

I. 10. *Tyroni ſuo.*---Amiſi enim, amiſi vitæ meæ teſtem, rectorem, magiſtrum. In ſumma dicam, quod recenti

recenti dolore contubernali Calvisio dixi; Vereor ne negligentius vivam. Proinde adhibe solatia mihi: non hæc, *Senex erat, Infirmus erat* (hæc enim novi:) sed nova aliqua, sed magna, quæ audierim nunquam, legerim nunquam. Nam quæ audivi, quæ legi, sponte succurrunt, sed tanto dolore superantur. *Vale.*

XIII.

I. 13. *Sosio Senecioni.* Magnum proventum poetarum annus hic attulit. Toto mense *Aprili* nullus fere dies quo non recitaret aliquis. Juvat me quod vigent studia, proferunt se ingenia hominum & ostentant: tametsi ad audiendum pigre coitur. Pleriq; in stationibus sedent, tempusq; audiendis fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit præfationem, an ex magna parte evolverit librum: tum demum, ac tunc quoq; lente cunctanterq;, veniunt: nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alii dissimulanter & furtim, alii simpliciter & libere.—Sed tanto magis laudandi probandiq; sunt, quos à scribendi recitandiq; studio, hæc auditorum vel desidia vel superbia non retardat.

XIV.

I. 14. *Junio Maurico.*—Est illi [*Aciliano*] facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa: est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam senatorius decor. Quæ ego nequaquam arbitror negligenda. Debet enim hoc castitati puellarum quasi præmium dari. Nescio an adjiciam, esse patri ejus amplas facultates.— Diligo quidem adolescentem ardentissime, sicut

ſicut meretur: ſed hoc ipſum amantis eſt, non oneſare eum laudibus. *Vale.*

XV.

I. 15. *Septitio Claro.* Heus tu, promittis ad cœnam; nec venis.----Dabis pænas, non dico quas. Dure feciſti: invidiſti, neſcio an tibi, certe mihi, ſed tamen & tibi. Quantum nos luſiſſemus, riſiſſemus, ſtuduiſſemus? Potes apparatius cænare apud multos: nuſquam hilarius, ſimplicius, incautius. In ſumma, experire. Et niſi poſtea te aliis potius excuſaveris, mihi ſemper excuſa. *Vale.*

XVI.

I. 16. *Eurício ſuo.* Amabam pompejum Saturninum, hunc dico noſtrum: laudabamq; ejus ingenium, etiam antequam ſcirem quam varium, quam flexibile, quam multiplex eſſet: nunc vero totum me tenet, habet, poſſidetq; Audivi cauſas agentem acriter & ardenter, nec minus ornate & polite; ſive meditata ſive ſubita proferret.----Præterea facit verſus, quales Catullus meus aut Calvus, quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris! Inſerit ſane, ſed data opera, molliuſculos leviuſculoſq;, duriuſculos quoſdam: & hoc quaſi Catullus meus aut Calvus. Legit mihi nuper epiſtolas, quas uxoris eſſe dicebat. Plautum vel Terentium metro ſolutum legi credidi; *&c.*

XVII.

XVII.

I. 17. *Titiano suo.*---Est omnino Capitoni in usu claros viros colere. Mirum est qua religione, quo studio imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum, domi ubi potest, habeat. Idem clarissimi cujusq; vitam egregiis carminibus exornat. Scias ipsum plurimis virtutibus abundare, qui alienas sic amat.

XVIII.

I. 20. *Tacito suo.* Frequens mihi disputatio est, cum quodam docto homine & perito, cui nihil æque in causis agendis ut brevitas placet. Quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat, alioqui prævaricatio est transiredicenda: prævaricatio etiam cursim & breviter attingere quæ sint incu'canda, infigenda, repetenda. Nam plerisq; longiori tractu vis quædam & pondus accedit. Utq; corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis quam mora imprimitur.

XIX.

Ib. Optimus tamen modus est: quis negat? sed non minus non servat modum, qui infra rem, quam qui supra: qui astrictius, quam qui effusius dicit. Itaq; audis frequenter, ut illud immodice & redundanter, ita hoc jejune & infirme. Alius excessisse materiam, alius dicitur non implesse, æque uterque: sed ille inbecillitate, hic viribus peccat. Quod certe etsi non limatioris, majoris tamen ingenii indicium est.

XX.

I. 22. *Catilio Severo*: Diu jam in urbe hæreo, & quidem attonitus. Perturbat me longa & pertinax valetudo Titi Aristonis, quem singulariter & miror & diligo. Nihil est enim illo gravius, sanctius, doctius: ut mihi non unus homo, sed literæ ipsæ omnesq; bonæ artes in uno homine summum periculum adire videantur. Quam peritus ille & privati juris & publici? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet? nihil est quod discere velis, quod ille docere non possit: mihi certe, quoties aliquid abditum quæro, ille thesaurus est.

FINIS.

